

www.e-rara.ch

Lexicon medicum graeco-latinum

Stupanus, Emmanuel

Basileae, 1639

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG Bn 35 (1)

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-99875>

B.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Avulsa. Vide Avulsio, & Apospasmata.

Avulsio est, cum ossa, quæ membrum colligant, divulsæ dicuntur. com. 3. in lib. Hippoc. de his, quæ in medic. sunt. 31. Vide Unionis solutio.

Axes ipsas, Asinos appellare consuevit Hippocrates; & parvos axes, Asellos, quas etiam Succulas vocat. 2. fract. 48.

Axillaris vena est, quæ per axillam percurrent, major humerali, per totum brachium in ramos scinditur duos, superiorem, inferiorem, externum, internum, ille vena hepatica, 3. de anat. adm. cap. 5. hic subalaris, basilica, & vena cubiti interna appellatur, lib. de anat. viv. & contra Erasistr. cap. 6.

Axiomata, propositiones indemonstrabiles vocant. 1. meth. 4.

Axungiam, omnes soliti sunt vocare adipem suillum veterem. 1. de comp. med. per gen. cap. 4. Vide Adeps.

Azygos vena, est propago, ex venæ cavæ superioris trunco exoritur, parte dextrâ, & octo costis inferioribus inserta, quam sub corde oriri semper à se observatum fuisse testatur Gal. 1. 5. de loc. aff. 2. & initio secundi de vict. rat. & 3. de usu part. in iis videlicet corporibus, in quibus thorax longior erat; nostro verò seculo, propter thoracis brevitatem, supra cor, & pericardium exoritur, ad quintam pleuræ thoracis vertebra, & per ejusdem ramulorum orificia aperta, materia pleuritica inter pleuram, & pleuram effunditur.

Azymus panis, i.e. fermenti expers. 1. de alim. facult. cap. 2.

B

BALLISTÆ os. Vide Astragalus.

Barycoia, sive Obauditus, sive Obauditio, est audi-

auditus gravitas & difficultas, proportionē respōdens Amblyopia, quæ est visus hebetudo, sive diminuta visio. 1. de caus. sympt. cap. 4.

Basilare os, quod & os palati, os Cunei, os Sphenoidis dicitur, est os, quod toti calvariæ substernitur, quod à nonnullis inter capitis, ab aliis inter maxillæ superioris ossa (cū inter utrumque sit medium) numeratur. cap. 1. lib. de ossib. & in fine lib. 11. de usu part.

Basilica vena. Vide Axillaris.

Basis cordis, quam alii caput visceris appellant, est vertex cordis, figurâ turbinatâ, 7. de anat. adm. c. 3. quam & mucronem appellant, 2. de placit. c. 4.

Bathmides, sunt brachii concavitates, in quas extendentibus totam manum, & flectentibus, cubiti ipsius coronæ ingrediuntur, 2. de usu part. cap. 15. Alibi inquit: Bathmides sunt bases quadam, & sinus, in brachii sive humeri osse, utriusque singulæ, in quas, quum extenditur, flectiturque, tota manus, ipsius ulnæ, coronæ sive processus ingrediuntur.

Bechica medicamenta sunt, quæ tuſim sedant, & expectorant. 1. de simpl. c. 1.

Belenoides os. Vide Graphoides, & Lirhoides.

Beneolentia dicuntur, quorum vapores, à corporibus defluentes, ambienti permisti, ac per nares inter inspirandum in cerebrum delati, familiares sunt cerebri naturæ, & animalibus spiritibus, proportionē quādam iis respondentēs, quæ linguae sunt dulcia. 4. de simpl. 22.

Berenicium, est nitrum, vel spuma nitri. 6. de compos. med. loc. c. 1.

Bilis, simpliciter si proferatur, sive biliosus humor, audimus pallidam & amaram, non acidam & nigram; hanc enim semper cum adiectione nominamus, ibi econtrâ
appel-

appellatione solâ bilis, humoris colorem innuentes. lib. de tumor. cap. 9. Bilis appellatio per se sola, flavam & amarâ significat, sed cum adjectione, Bilis atra, humorem melancholicum. 7. aph. 32. & 1. de nat. hum. 27. & com. 5. in 6. de morb. vulg. 14.

Bilis acida. Vide Acida bilis.

Bilis æruginosa. Vide Bilis pallida.

Bilis amara. Vide Bilis.

Bilis atra. Vide Bilis.

Bilis flava. Vide Bilis pallida.

Bilis Isatodes. Vide Bilis pallida.

Bilis nigra. Vide Nigra bilis.

Bilis pallida est, quæ ex bili syncera, & tenui aquosa, serosaq; humiditate (quæ ex urina etiâ, sudorq; provenit) constat. Flava verò, quæ & Vitellina dicitur, colore pallidior, tenui humiditate constans, sed crassiori quàm pallida, crudo vitello ovorum & colore & consistentiâ similis, in vasis genita. Porracea verò in ventriculo genita, porrorum colori similis: Aeruginosa, quæ ærugini assimilatur: Isatodes autem bilis, quæ ab Isatide, cæsum colorem referente, dicta est. Sic etiam & Rubram nonnulli bilem nominârunt, quæ consistentiâ ad tenuem sanguinem proximè accedit, sed quoniam non concrefcit, idcirco bilem eam nominant, lib. de atra bile, cap. 2.

Bilis porracea. Vide Bilis pallida.

Bilis radens. Vide Acida bilis.

Bilis rubra. Vide Bilis pallida.

Bilis vitellina. Vide Bilis pallida.

Bis feriens pulsus. Vide Dicrotus pulsus.

Blæsum corpus est, cujus pectus prunum, in partem anteriorem redditur; Rhæbum autem, cùm posteriores

par-

partes, quæ ad spinam pertinent, gibbæ redduntur. lib. de caus. morb. cap. 7.

Blena, sive mucus, est humor per palatum & nares defluens, concoctus, adeoque crassior, minusque acris, & mordax, propterea & crassior pituita ab Hippocr. vocatur. lib. de totius morb. temper. cap. 3. & 2. de semin. cap. 6. Vide Phlegma.

Boriborgmos, est sonus, vel murmur, in crassis intestinis factum à flatibus, cum excrementis sunt vacua, humidum excrementum denunciens. 3. de symptom. caus. cap. 2. Vide Physis.

Bothor. Vide Exanthemata.

Bothria. Vide Phathnia.

Bothrion, propriè scrobs, sive parva fovea, undè ductâ similitudine, dentis alveolus & sinus, in quem ille reconditur, sic vocatur. Quin & ὀφθαλμῶν est ulcus cavum oculi, tunica corneæ, parvum, angustum, puncturis rotundis simile, ulcusculo altius. lib. Introd. cap. 15.

Brachiale, quod Græci ἀρπῆρον dicunt, Arabibus Rascetata, est prima pars palmæ manûs, octo constans ossibus, in superficie leniter gibbis, sinuatis intrinsecus, lib. de ossib. c. 18. cujus inferior pars quatuor ossibus (quæ quasi postbrachiale, vel metacarpium dixeris) colligatur. ibid. cap. 16.

Brachichronius. Vide Polychronius.

Brachium, totius manûs pars maxima, cujus terminî infernè, sunt articulus, qui in curvatura cubiti est, quem Anchona, sive Cubitum, cui innitimur, vocamus; supernè autem rursus, humeri articulus. lib. 2. de motu musc. cap. 2. Brachium insuper appellatur, quod inter duas juncturas humeri & cubiti intercedit, totius brachii pars; Superhumeralis verò, i.e. Epomis, superior humeri pars est, quæ
ad

ad collum vergit. Nam humerus, totum id, quod in deartitione hac apparet, vocatur; quod autē non apparet, à posteriori parte, est os scapulae, ab inferiori est id, quod, dum totum brachium attollitur, manifestum fit, & Ala nominatur. 1. de artic. 4.

Bradypepsia. Vide Concoctio.

Branchus, aliàs Raucedo, Destillatio, & Coryza. 5. de sanit. tuend. cap. 8. Qualis in ventre, diarrhœa, passio, ex mala concoctione, fit, tale $\pi\acute{\alpha}\theta\eta\upsilon\alpha$ est in cerebro catarrhus & coryza. Catarrhus scilicet est, cum, quod supervacuum est, in os diffluit; Coryza, cum in nares; Branchos autem, sive raucitas catarrhis superveniens, fit faucibus humore imbutis. Quod si in Gargarionem fluxio procumbit, aut (quam ex similitudine Græci $\tau\alpha\phi\acute{o}\lambda\lambda\upsilon$, i.e. acinum vocant) in uvulam, hanc in tumorem attollit; at si in glandulas, quæ sibi ex adverso, in oris termino utrinque jacent, Antiadas; si autem in ea, quæ iis proxima sunt, humorum fiat decubitus, oriuntur Paristhmia. 3. de sympt. caus. cap. 4.

Bregmata, Latinis synciput, sunt duo syncipitis ossa, utrinque quatuor rectis lineis circumscripta, una quidem per suturam in longum porrectam, sagittalem, utrinque ossi communem, posterius autem lambdoidis sutura lateribus, antè verò coronariæ vocatæ, utraqque autem parte, squamosis commissuris determinantur. comment. 3. in 6. de morbis vulgar. 1. ubi inquit, Bregmata, vulgò parietalia ossa appellantur. Vide Pregmatidis ossa.

Brevis pulsus. Vide Pulsus latus.

Bronchia, sunt asperæ arteriæ cartilaginee, literæ Z figuram referentes. 4. loc. aff. c. 8. Vide Arteria.

Bron-

Bronchocele, i. e. gutturis tumor. 2. de comp. med. loc. cap. 17.

Bronchon, i. e. trachea arteria. 7. de usu part. cap. 11. Vide Aspera arteria.

Bubo, est tumor, præter naturam, in collo, secus aures, vel in inguinibus, emissariis veluti communibus, iis, quibus in collo, capite, vel aliquâ vicinâ parte, vel prope magnam arteriam aut cavam venam, ulcus est natū, aut quæ aliâs naturæ insensibilis plurimis sciatent superfluitatibus, obortus. 13. meth. cap. 5. Vide Struma.

Bubonecele, est tumor mollis, in inguine factus, peritonæo plūs nimis dilatato, vulnerato, aut rupto, & postea non conglutinato, diciturq; ramex in inguine: quod si umbilico hoc accadat, dicitur Exomphalos. lib. de tumor. cap. 16.

Bulimos, est vehemens esuritio, ex indigentia simul, imbecillitate, & refrigeratione oris ventriculi, orta. 1. de caus. sympt. cap. 7. Differt autem Bulimos à canina appetentia, quod ille sit casus potentiæ naturalis appetitiuæ, tractricis & concoctricis, ex frigiditate exteriori, qui à fame quidem inchoavit, sed non habet eam amplius adjunctam, Caninus autem appetitus fieri consuevit, vel propter solam intemperaturam frigidiorē, vel propter humores melancholicos, acidos, lancinantes, & venarum suctioni similem sensum inferentes, quos exorbuir os ventriculi. 2. aph. 21.

Bulla, i. e. pustula oculis nata. 9. de simplic. med. fac.

Bursa testium, est communis tunicarum, utrumq; testem cooperientium, rugosus sinus, utriq; testiculo circumdatus, Oscheon Græcis, Latinis Scortum, aliis Scrotum dicitur. lib. de dissect. vulvæ. & in Introd.